oporteret enim insuper determinare, quinam tandem sint illi articuli, qui ita clare in Scriptura exprimuntur — 3) Quod si dicantur articuli fundamentales clare determinari in S. Scriptura; quid causae est cur Protestantes inter se non conveniant in iis assignandis? Cf. quae diximus in tract. *de Virt. Infusis* (n. 976. seq.).

Dicunt *secundo:* Fundamentalia sunt quae cum religionis Christianae fundamento necessariam habent connexionem » — Porro caecus sit oportet, qui non videat ludicram esse hanc regulam, quum reducatur ad hanc: Fundamentalia sunt quae sunt fundamentalia. Revera quid respondere possent Novatores Catholico quaerenti: quaenam sunt illa dogmata quae cum religionis Christianae fundamento necessariam habent connexionem? Hoc tantum: ea esse quae sunt fundamentalia.

Dicunt *tertio:* « ad articulos fundamentales pertinent omnes illi quos communi consensu tenent omnes Christianorum sectae ». Verum — 1) haec regula pugnat cum Novatorum principio de interpretatione Scripturarum (quae ipsis unica fidei regula sunt) ex privato uniuscuiusque spiritu — 2) Quando singulae haereses primo ortae sunt ac novae sectae enatae, constanter repudiarunt fidem in veritates, quas Ecclesia communi consensu credebat: quod historice constat etiam de haeresi Novatorum. Ergo sectae illae omnes errarunt ac errant in fundamentalibus. Num quia nova haeresis surgit et nova secta efformatur cessare dicitur consensus circa aliquem articulum, qui proinde desineret esse fundamentalis? Sed hac ratione nullus erit articulus fundamentalis — 3) Si fundamentalis est articulus quem communi consensu professae sunt omnes Christianorum societates, certe fundamentalis est articulus, quod Ecclesia catholica ita est *una* unitate fidei, ut excludat omnes haereticorum sectas, in quolibet articulo errantes; quum, uti vidimus, tota retro antiquitas in Ecclesiam *ita unam* crediderit.

Dicunt, *quarto*, dari « sensum quemdam internum, a Spiritu Sancto inditum, quo aliquis, quid fundamentale sit, quid non, tam facile discernat, quam gustus amarum discernit a dulci ». Verum hanc regulam, quae ipso facto ostenditur vana ac falsa, refutavimus in tract. *de Virt.* (n. 981. seqq.).

657. IV. Hinc patet distinctionem, de qua agimus, esse unitatis subversivam: si enim unitas deficit vel in regula, qua unitas fidei

BIBLIOTECA CENTRAL

procuranda est; quaenam in fide unitas obtineri tandem poterit? Quod insuper confirmari potest —

1) *Ex confessionibus Protestantium.* Mosheim (Elemen. theol. dogm. tom. 1. c. 1.) scribit: « Quamdiu in abstracto quaeritur, quid sit articulus fundamentalis, quid non, consentiunt; longe autem alia est rerum facies, si hi conceptus applicentur ad dogmata teologica... tum oriuntur lites quae non facile solvi possunt ». Buddaeus (Inst. theol. dogm. l. 1. c. 1.): « Vehementer disceptari solet, ex quibus characteribus, seu indiciis, articuli fidei dignoscantur fundamentales ». Limmerman (opusc. theol. tom. 1.): « Is solus discernere potest, qui est salutis et exitii Dominus ».

2) *Ex facto.* Quid enim iam credunt Protestantes? Protestati sunt ab initio contra aliquos articulos; in dies protestantur contra alios; protestabuntur, donec aliquod fidei supernaturalis dogma supersit: et vere eo iam res devenit, ut plures nihil amplius credant, plures nesciant an aliquid credant, aut quid tandem credendum sit. Hoc factum in perspicuo ponunt illa praesertim conamina, nostris diebus a gubernio Borussiae frustra adhibita, ad Ecclesiam suam pseudo-evangelicam sustentandam. Quis ignorat, Protestantismum maxima ex parte in rationalismum degenerasse? Contendunt (apud Malou, *Lecture de la Sainte Bible*, etc., tom. 2. p. 392.) « nulli fidei symbolo esse adhaerendum, nihil magis esse antiphilosophicum quam vocabulum haereseos: mirantur quomodo homines fallibiles audeant adhuc se dicere orthodoxos »; adeoque veteri Protestantium *orthodoxiae* opponunt « *orthodoxiam* quamdam modernam et progressivam ». — Cf. pro hac ultima parte thesis Fratres de Walenburch (*de Articulis necessariis*, tract. 3.).

§ III.

Statuitur unitas regiminis in Ecclesia.

PROP. XXVIII. — 1. *Una est etiam Ecclesia unitate regiminis, vi cuius quotquot sunt in orbe fideles uni supremae auctoritati subiiciuntur. Quodlibet ergo schisma, uti nomen ipsum indicat, a vera unitate separat* — 2) *nec ulla unquam ratione licet illud introducere, aut in eodem permanere.*

658. *Prob. prima pars* I. *ex Scriptura.* Nam legitur (Matth. XVI. 18-19.): « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». — Unde: hoc in loco promittitur Petro suprema potestas, uti ostendimus (nn. 546-558.), et fusius demonstrabitur ubi sermo erit de Primatu iurisdictionis in B. Petro divinitus instituto. Atqui suprema illa potestas extenditur ad quotquot sunt in orbe fideles. Ergo quotquot sunt in orbe fideles aut Ecclesiae particulares, supremae illi auctoritati subiiciantur oportet.

Prob. min. 1) Ecclesia, de qua hic agitur, ea est quam Christus aedificavit; atqui non aliquam particularem, sed universalem Ecclesiam aedificavit Christus — 2) Ecclesiam super Petrum aedificandam vocat Christus *suam*, simpliciter et sine addito (« Ecclesiam *meam* »): atqui Ecclesia quae simpliciter Ecclesia Christi dicitur non est haec vel illa particularis, sed Ecclesia universalis — 3) Loquitur Christus de Ecclesia, contra quam « portae inferi non praevalebunt »; sed promissio haec, portas inferi non esse praevaliturus adversus Ecclesiam, de sola Ecclesia universali intelligi potest — 4) Constat ex usu Scripturarum N. T., nomen *Ecclesia*, simpliciter et sine addito usurpatum, significare universam Ecclesiam; quando enim Ecclesia particularis significatur, aut restringitur nomen disertis verbis (« Ecclesia quae orat Jerosolymis » — « Ecclesia Dei quae est Corinthi », etc.); aut ex

subiecta materia noscitur, uti, ex. gr. (Act. XX. 17.); « Mittens Ephesum, vocavit maiores natu Ecclesiae », etc. Atqui in cit. textu Matth. nomen Ecclesiae simpliciter et sine addito usurpatur, neque ulla ex dictis rationibus restringitur. Ergo

659. II. *Iterum ex Scriptura.* Extat enim Prophetia, quam per os Caiphae edidit Spiritus Sanctus (Jo. XI. 50-52.): « Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente; sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ». — Unde: hic agitur de omnibus fidelibus, ubicumque ii sint (non tantum pro gente,... sed ut filios Dei qui erant dispersi, etc.), qui omnes dicuntur congregandi in unam societatem: unica vero societas, quam Christus sua morte fundavit, est Ecclesia. Atqui non datur una societas, ubi non est unum supremum regimen. Ergo

Ad *mai.* confirmandam, recolantur ea, quibus supra statuimus, Christum Ecclesiam fundasse in formam verae societatis; et simul perpendatur vocabulum *congregaret* (συναγαγῃ), quo significatur homines per orbem dispersos non solum convertendos esse, sed *una* ponendos congregandos (1).

660. III. *Adhuc ex Scriptura*, recolendo iam saepe dicta. Nam — 1) Ecclesia vocatur regnum (nn. 440. 545.), et quidem *unum* regnum in singulari, regnum Dei, regnum Christi. Sed regnum non est unum, nisi unus sit apud quem suprema potestas resideat. Ergo. Regnum autem hoc *visibile* est (n. 461. seqq.): ergo uni eius Capiti omnes subiiciantur oportet.

2) Ecclesia vocatur *Civitas.* Iamvero — *a)* est *una* civitas; nam constanter vocatur civitas in singulari, et additur de *te*, *in*

(1) Id fatentur ipsi Protestantes interpretes. Kuinoel ait: « ut in *unum coetum colligeret* cum Judaeis (Ephes. II. 13-14.; III. 6.), *ut unus evaderet grex unius pastoris* (X. 16.), e Paganis et Judaeis grex promiscuus ». Rosenmüller: « *in unam societatem colligeret,* ut omnes fierent *unum*, ratione animi emendati et divinioris, ut postea saepe Christus loquitur, ut sic unus exsisteret grex atque pastor ». Bloomfield: « As it were into one Catholic and universal Church, united in one holy communion, under one common head ». A. Clarke: « That he should *collect into one body;* form one Church out of the Jewish and Gentile believers » — (apud Murray).

ea, super *te*, in *te*, ad *te*, *tui*, *tibi*, etc. (cf. dicta n. 405.; et Is. LX.; Ps. LXXXVI.) — *b)* Est civitas *universalis;* ad eam enim confluunt omnes gentes, et omnia regna, « Rahab et Babylonis, et Tyrus et populus Aethyopum, filii peregrinorum, et reges eorum omnes qui detrahebant tibi ». Atqui esse non posset una universalis civitas, nisi una ei suprema potestas praesideret. Ergo.

3) Ecclesia a Christo instituta est in formam societatis visibilis, uti supra demonstravimus. Sed, uti facile conceditur (n. 628.), non est nisi una Ecclesia. Ergo non est nisi una *ut societas*. Sed societas non est una, nisi una sit suprema auctoritas. Ergo.

661. IV. *Ex Patribus*, quorum testimonia, brevitatis gratia, ad quasdam veluti classes revocabimus. Ac — 1) huc faciunt ea testimonia, quibus unitas regiminis ab iis ponitur in ipsa Ecclesiae definitione. Ita. ex. gr., S. Cyprianus (ep. 69. ad Florent. Pupianum) postquam dixerit Ecclesiam esse « plebem sacerdoti adunatam, et pastori suo gregem adhaerentem »; addit, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; eum, qui cum Episcopo non est, in Ecclesia non esse; frustra eos sibi blandiri, qui pacem cum Dei sacerdotibus non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam se communicare credunt: « quandoquidem, subdit, Ecclesia quae catholica est, una est, scissa non est, nec divisa, sed utique connexa, et cohaerentium sibi sacerdotum glutino copulata ».

2) Nisi Ecclesia esset *una* externa universalis societas, seu nisi haberet unam pro toto orbe supremam potestatem, non posset ut universalis docere, ac iudicare: id fatetur ipse Jurieu (apud Nicole, *Unité de l'Église*, lib. 1. ch. 9.): et liquet ex ipsa rei natura: si enim magisterium ac iudicium supremum pertineret ad Ecclesias inter se dissidentes, nihil definiri posset, quod omnes obligaret: quae ab una negarentur, affirmarentur ab alia. Atqui universale magisterium ac supremum iudicium semper Patres asseruerunt Ecclesiae. Hinc S. Irenaeus (adv. haeres. l. 1. c. 10. n. 2.) scribit: « Ecclesia tametsi per orbem sparsa,... miro consensu quasi uno ore praedita, haec praedicat, docet et tradit ». « Haereticos revertentes recipimus, inquit Synodus Cp. I. (apud Labbe, t. 2. p. 952.), dantes quidem libellos et omnem haeresim anathematizantes, quae non sentit ut sancta Dei et Apostolica Ecclesia ».

Leporius in suorum errorum abiuratione, postulantibus id Episcopis Africanis, profiteri tenebatur se suscipere et tenere, « quod ordo Ecclesiae tenet aut suscipit » (ibid. p. 1683.) — Recole dicta (n. 652.).

3) Exsistit in Ecclesia potestas, qua quis ab unitate catholica abscindi potest. Tertullianus (Apol. c. 93.) excommunicationem vocat « futuri iudicii praeiudicium, si quis ita deliquerit, ut a communione orationis, et conventus, et omnis sacri commercii relegetur ». S. Cyprianus (ep. 2. ad Pomp.) eam vocat gladium spiritualem, « quo superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur ». Fornicator, adulter, homicida, et cetera vitia », inquit S. Hieronymus (in cap. 3. ep. ad Tit.), « per sacerdotes de Ecclesia propelluntur; haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes » (1). Atqui ea potestas esset impossibilis, nisi una suprema auctoritas toti Ecclesiae praesideret; qui enim ab una Ecclesia separaretur, reciperetur ab alia, nec omnes Ecclesiae uni iudicio subiicerentur. Ergo.

4) Toties docuerunt Patres unitatem regiminis in Ecclesia, quoties dixerunt Rom. Pontif. esse *centrum catholicae unitatis divinitus institutum*. Huiusmodi vero testimonia innumera sunt. S. Irenaeus (adv. haeres. l. 3. c. 3.) docet « ad Ecclesiam [Romanam] propter potiorem eius principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles ». — S. Cyprianus (ep. 70. ad Januar.) docet: « Sicut Deus unus est, itam unam Ecclesiam esse, et catholicam unam super Petrum Domini voce fundatam »; simul autem dicit (ep. ad Cornel. 55.). Romanam Ecclesiam « hanc Petri cathedram esse et Ecclesiam prin-

(1) Mirum videri potest, ab ipsis Protestantibus hanc doctrinam quandoque agnosci. Synod. II. Paris. an. 1565. habita (discip. c. 5. art. 17.), ita excommunicationem definit: « Excommunicare », aiunt, « est aliquem abscindere a corpore Ecclesiae ut membrum putridum, ipsumque privare communione eiusque bonis omnibus ». Eodem modo rem intellexerunt ministri reformati in Synodo XX. congregati; nam excommunicantes Jeremiam Feriez, haec habent: « Abiecimus eum et abiicimus extra fidelium congregationem, ut Satanae tradatur. Abscidimus eum et abscindimus a sanctorum communione, declarantes quod non amplius debeat censeri vel reputari ut J. C. et Ecclesiae membrum, sed haberi ut ethnicus et publicanus, ut prophanus et contemptor Dei ». Concinunt denique plures Protestantium Synodi, quas videre est apud Malou (*Lect. de la Sainte Bible*, etc., t. 1. p. 113.).

BIBLIOTECA CENTRALE

cipalem, unde unitas sacerdotalis exorta est ». Hinc eam vocat (ad eumd. ep. 45.) « radicem et matricem Ecclesiae catholicae ». — S. Ambrosius (in Ps. 50. n. 30.), asserens quod ubi Petrus, ibi est Ecclesia, narrat de Satyro fratre suo (l. de excessu fratris, n. 47.), quod ab episcopo loci, ubi morabatur, interrogatus fuit, « utrum cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret ». — S. Hieronymus (ep. 16. 14.) ad Damasum scribens, haec praeclara profert: « Ego... Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est. ». — Plura suo loco videbimus.

663. V. Bene perpendenti allata argumenta facilis est responsio exceptioni quam proponit Palmer, qui putat Ecclesiam fuisse quidem a Christo institutam *unam*, non ita tamen ut sine interruptione debeat semper *una*, etiam quoad regimen, permanere: unitas illa est de necessitate *praecepti*, non vero *essentiae*.

Verum — 1) liquet ex dictis, unitatem regiminis tribui Ecclesiae prout est una societas, et societas catholica; sed id pertinet ad ipsam essentiam Ecclesiae: unde Patres id etiam ponunt in ipsa Ecclesiae definitione. Propterea cum Ecclesia sit indefectibilis, erit semper una, unitate etiam regiminis.

2) In Ecclesia, fatente etiam Palmer, debet semper esse unitas fidei: atqui unitas fidei, uti patet ex prop. praeced., pendet a regimine Apostolico tamquam a principio. Ergo si unitas regiminis potest aliquando deesse, deesse etiam poterit unitas fidei (1).

3) Patres non modo affirmant Ecclesiam esse unam unitate regiminis, sed insuper dicunt *non posse* scindi in partes. Ita S. Cyprianus agens de Ecclesia « quae luce Domini perfusa per totum orbem radios suos spargit », et in qua « unus tantum est grex

(1) Consideratione digna sunt quae habet auctor ille (p. 1. c. 5. § 4.): « We may infer then that Christ having enjoined unity in the belief of the truth on all Christians, there must necessarily be in His Church some *means* for preserving or restoring this unity, as well in particular churches as in the Church universal, and, therefore, all those societies which are prevented by their fundamental principles from sustaining unity in the truth, cannot he churches of Christ ».

BIBLIOTECA CENTRALE

et unus Pastor »; docet (de Unit. Eccl. cc. 6-7.), quod vestis Christi inconsutilis, typus Ecclesiae, scindi non potest: « Christi populus », inquit, « scindi *non potest*. Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiae furore vesanus, *ut credat scindi posse unitatem* Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo, et docet dicens: " et erit unus grex et unus pastor, " et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores, aut plures greges? » — S. Ambrosius (l. 1. de Fide c. 1. n. 11.) dixerat Ecclesiam esse unum corpus; quod deinde confirmat, quia « non dividitur unitas, nec scinditur, et ideo *nec corruptelae subditur*, *nec aetati* ». — S. Epiphanius (expos. fid. c. 6.) discrimen inter Ecclesiam catholicam et sectas in eo constituit, quod dum illa semper virgo est, intemerata ac una, sectae e contra continuo scinduntur: « Observatione dignum est », inquit, « saepenumero quamlibet per sese haeresim scissam ac divisam, varias in partes et vocabula distrahi ». — Id confirmabitur ex mox dicendis.

663. *Prob. secunda pars.* I. Nulla unquam ratione licet schisma introducere aut in eodem permanere, si necessitas unitatis externae servandae absoluta est, et nullam patitur exceptionem. Atqui talis est huiusmodi necessitas. Ergo.

Prob. min. — 1) Scripturae aperte excludunt quamlibet exceptionem. Id quidem facile patet recolendo iam data argumenta; cum enim Ecclesia sit *Corpus Christi*, *Templum* aut *Domus Dei*, *Regnum Christi*, *Ovile Christi*, si quandoque liceret Ecclesiae unitatem scindere, liceret scindere corpus Christi, domum Dei, Regnum Christi, ovile Christi; seu liceret non habere Christum Caput, vivere extra domum ac Regnum Christi, non habere Christum Pastorem. Atqui haec apertissime nunquam licita esse possunt, sicut nunquam licere potest privari vita, quam Christus nobis communicat. Ergo.

2) Si *absoluta* non esset necessitas servandae unitatis Ecclesiae, ex principiis adversariorum sequeretur *nullum* esse huiusmodi praeceptum quoad externum regimen: quod tamen ipsi negant. Revera, iuxta ipsos, liceret scindere eam unitatem ratione corruptionis, haeresis, etc.: sed in hoc casu a quo causa separationis

esset definienda? Si ab auctoritate constituta a Christo in Ecclesia; adversariorum schisma certe esset illicitum, siquidem Ecclesia semper ipsi restitit: sin vero absque illius auctoritatis consensu, quisque proprio iudicio posset iustam separationis causam definire; iam absolute destrueretur regimen Ecclesiae; quid enim est auctoritas, quam subditi proprio iudicio possunt licite respuere?

3) Patres docent tam illicitum esse separari ab Ecclesia propter schisma, quam propter haeresim. Atqui adversarii, contra quos hic agimus, agnoscunt necessitatem *absolutam* vitandi haereses. Ergo — « Dico et protestor », inquit S. Jo. Chrysostomus (Hom. 11. in Ep. ad Eph.), « Ecclesiam scindere *non minus esse malum, quam incidere in haeresim*. Dic mihi, si quis alicui regi subiectus, ad alium quidem non defecerit, neque se alicui regi dediderit, sed illius acceptam et detentam purpuram a fibula totam demiserit, et in multa fragmenta disruperit, an minus punietur quam qui ad alterum defecerunt? Quid vero, si insuper ipsum quoque regem iugulo apprehensum interemisset, membratim discerpens eius corpus, quasnam poenas dedisset pro meritis? Si autem qui regi conservo suo hoc fecerit, maiora fecit quam ut quis par est dare possit poenas; qui Christum ingulat et membratim dilaniat, quam non merebitur gehennam? »

4) Patres docent ita necessariam esse externam Ecclesiae unitatem sicut necessaria est caritas: quemadmodum vero sine caritate nihil prodest, ita voluntarie exsistentibus extra Ecclesiae unitatem nihil prodesse potest. « Nemo », inquit S. Augustinus (serm. 88. n. 19.), « ante tempus deserat arcam, toleret paleam in trituta; toleret in arca... Qui autem deseruerit unitatem, violat caritatem: et quisquis violat caritatem, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est. Si linguis hominum loquatur et Angelorum, si sciat omnia sacramenta, si habeat omnem fidem ut montes transferat, si distribuat omnia sua pauperibus, si corpus suum tradat ut ardeat, caritatem autem non habeat, nihil est, nihil ei prodest. Universa inutiliter habet, qui unum illud quo universis utatur non habet. Amplectamur itaque caritatem, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Non nos seducant qui carnaliter intelligunt et corporalem separationem facientes, ab

Ecclesiae frumentis toto orbe diffusis spiritali sacrilegio separantur (Donatistae). Per totum enim mundum seminatum est bonum semen. Bonus ille seminator Filius hominis, non in Africa sola, sed ubique sparsit semen bonum. Inimicus autem superseminavit zizania. Sed tamen quid ait paterfamilias? Sinite utraque crescere usque ad messem ». — Et S. Cyprianus (de Unit. Eccles.) inquit: « An secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est. Ad regnum pervenire non poterit qui eam quae regnatura est derelinquit... Exhibere se non potest martyrem qui fraternam non tenuit caritatem... Cum Deo manere non possunt qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest ». — « Aversandus est talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est huiusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri eius et plebis societate secernit? » — Vide ipsorum haereticorum confessiones apud Fratres Walenb. (de Unit. Eccles. l. 2. tract. 9. c. 7.).

664. II. Ut magis urgeamus argumentum, simulque excludamus praecipuas separationis causas ab adversariis assignatas, praestat argumentationem ita instaurare: nunquam licet schisma introducere, si nulla possit esse iusta causa unitatem scindendi. Atqui ita est. Ergo.

Prob. min. 2) Patres generatim negant quamlibet huiusmodi causam. S. Augustinus (c. ep. Parm. l. 2. n. 25.) ait: « Haec ex scripturis sanctis documenta proferimus, ut appareat facile non esse quidquam gravius sacrilegio schismatis: quia praecidendae unitatis nulla est iusta necessitas, cum sibi nequaquam spiritaliter nocituros malos ideo tolerent boni, ne spiritaliter seiungantur a bonis, cum disciplinae severitatem consideratio custodiendae pacis refrenat aut differt », etc. Et (l. 3. n. 2.): « Inconcussum